

Ita Hugo Menardus in notis ad sacramentarium Gregorii M., contra Petrum Ledesmam.

R. 2°. Formas illas solum grammaticæ, verbotenus et mere materialiter fuisse indicativas; moraliter autem, virtualiter et æquivalenter preces fuisse. Confirmat hanc responsionem S. Bonaventura, qui a. 1. q. 4. ad 2. objectionem, quod non sit eadem forma, *Dicendum*, inquit, *quod secundum id quod est necessarium et essentielle sacramento, eandem oportet esse. Sed forma verbi non est necessaria ratione vocis exterioris, sed prout est expressiva verbi interioris.* Suaresius item hanc formam esse sufficientem asserit: *Ungo te oleo sancto, ut Deus tibi remittat quidquid peccasti*, etc., quia verbo indicativi modi adjungitur sufficiens deprecatio. Atqui similem precationem adjunctam habent tam forma Ambrosiana, quam cæteræ nuper laudatæ; ac præsertim quam Palacius ex lib. sacramentali Venetorum approbato per Leonem X. ita recitat: *Ungo te oleo sancto, ut hac unctione protectus fortiter stare valeas adversus aereas catervas, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Indicativo modo adjungit deprecativum forma L. Sacram. GREG. M. *Inungo te de oleo sancto, etc... Operare creatura olei in nomine Dei Patris, etc., Per eundem Christum, etc.* Iisdem ferme verbis concepta est forma, quam Arcudius L. 5. Concordiæ, c. 5. ex Serario legi ait, in antiquo codice manuscripto Halitgarii Episcopi Cameracensis, qui florebat Ludovici Pii temporibus.

## CAPUT II.

### DE EFFECTIBUS ET MINISTRO EXTREMÆ UNCTIONIS.

#### ARTICULUS I.

##### DE EFFECTIBUS HUIUS SACRAMENTI.

321. *Dico I.* Finis et effectus omnium præcipuus Extremæ Unctionis est confortatio animi adversus difficultates in articulo mortis occurrentes.

*Prob.* Apostolus ait: *Et alleviabit eum Dominus*, græce ἐγερσῆι, excitabit, novum ei robur, alacritatem, lætitiâ et vigorem suppeditando. Rationem reddit Synodus Tridentina in præmio de Extr. Unct. Christus hominibus sanis et valentibus per cætera sacramenta satis consuluit, auxilia in iis maxima præparando, queis se adversus tela hostium integros conservent. Opus ergo adhuc erat, ut firmissimo hoc Unctionis extremæ præsidio munirentur graviter ægotantes eo tempore, quo et vires corporis nobis deficient, et dæmon *vehementius omnes versutia sue nervos intendit ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos; cum impendere nobis exitum vite perspicit.* Eadem confirmat Concilium Coloniense part. 7. cap. 40.

Ex his conficimus, sacramenti hujus effectum proprium non consistere in gratia habituali, hæc enim eadem omnium sacramentorum est; sed in specialibus gratiæ auxiliis, accommodatis ad finem hujus sacramenti, qui tres potissimum spectat effectus ab illis auxiliis præstandos. Primus ad roborandam, ut dixi, spem, in mortis articulo vel maxime necessariam. Alter ad hilaritatem animi concipiendam, qua morbi incommoda et ærumnæ levius toleremus. Tertius, auxiliis illis gratiæ reddimur fortiores animo et promptiores ad superandum tentationes dæmonis, quæ tunc acrius urgent. Effectuum horum typus est sacra unctio: hæc enim sanat et roborat, et per eam disponi solent luctatores et pugiles ad certamen. Vid. Conc. Trid. cap. 1. et cap. 2. *Hæc gratia...* inquit, *ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius fert; et tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit.* Sed et Eugenius IV. in Concilio Florentino, sacramenti hujus effectum docuit esse mentis sanationem. Merito ergo Extrema unctio *sacramentum spei* appellatur: sicut Baptismus sacramentum fidei, Eucharistia sacramentum amoris, et confessio a Theologis dicitur *sacramentum penitentiæ.*

322. *Dico II.* Finis et effectus secundarius Extremæ unctionis est, per se proxime disponere animam ad introitum gloriæ.

*Prob.* Extrema unctio dicitur a Patribus *sacramentum exeuntium*, et totius christianæ vitæ *consummativum*, ut habet præmium et cap. 3. doctrinæ de Extr. Unct. in Concilio Trid.; ergo ejus effectus secundarius est, proxime disponere ad introitum gloriæ. Duplex autem hæc dispositio spectari potest, ac prior quidem est perfecta animæ sanctificatio, quæ, præter habitum gratiæ, consistit in remotione omnis mali a peccato provenientis: posterior autem est perseverantia in illo bono usque ad mortem. De hac posteriore satis modo egimus in conclusione prima; priorem vero præparationem nunc breviter expono.

1°. Sacramento Unctionis sacræ tolluntur peccata; ait enim S. Jacob.: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Idem significant verba formæ: *Per istam unctionem... indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per*, etc., et quod cap. 2. docet Concilium Tridentinum: *Res hujus sacramenti gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Quæ quidem testimonia, cum sint universalialia, et sensu proprio intelligenda, etiam de peccatis mortalibus accipi oportet. Præsertim quia constat, quod peccata in rigore magis significant mortalia, quam venialia, atque in illo articulo magis necessaria sit illorum remissio, quam istorum. Denique propter sola peccata venialia, aut pœnas residuas, ne opus quidem erat annecti ab Apostolo conditionem, *si in peccatis sit*: vix enim reperitur homo, qui culpa veniali, aut pœnarum reatu non sit obstrictus. Quomodo autem sacramento Extremæ Unctionis peccata lethalia interdum remittantur, fuse explicatum fuit ubi de sacramentis generatim.

2°. Cum peccata venialia etiam ab ingressu regni cœlestis nos morentur, etiam hæc ex opere operato hujus sacramenti, ac *per se* quidem remittuntur quoad culpam. Nam nec verbis Apostoli, nec forma hujus sacramenti, peccata generatim appellantibus, venialia a remissione excipiuntur. Sed

etiam Origenes, hom. 2. in Levit. ut probet, eum quem peccati pœnitet, consequi illius remissionem, utitur verbis Jacobi: *Infirmatur quis in vobis*, etc. ubi distincte tam de sacramento pœnitentiæ, quam de unctione extrema disserit: cui adde cæteros Patres art. 1. in concl. laudatos.

Corollarium istud admittitur etiam ab iis Theologis, quibus non probatur, remissionem peccati mortalis per sacramentum unctionis fieri: aiuntque fide catholica certum esse, peccata, saltem venialia virtute hujus sacramenti remitti.

3°. Idem sacramentum Unctionis Extremæ remittit etiam pœnas temporales peccatorum, his quoad culpam remissis residuas. Sequitur corollarium istud ex eo, quod sacramentum hoc institutum sit, ad hominem proxime disponendum ad introitum gloriæ, et ad tollenda ingressus hujus impedimenta: arcet autem ab hoc ingressu omnis reatus pœnæ residuus. Ex verbis etiam Jacobi, et forma sacramenti hujus effectum istum intelligimus: asserunt enim universum et absolute peccata, si quæ supersunt, remissum iri, atque nomen peccatorum pœnis post culpam remissam adhuc pendendis sæpe tribuitur in sacris paginis; ceu Lev. 20. v. 20. et 2. Mach. 12. v. 46.

Porro dum idem Concilium Tridentinum c. 2. ait, *delicta, et peccati reliquias abstergi* in hoc sacramento, indefinita hæc et universalis doctrina merito de peccatorum residuis pœnis intelligitur, quippe quæ et peccatorum reliquiis vere possunt accenseri, et multo magis proprie dicuntur abstergi seu tolli, quam cæteræ reliquiæ peccatorum. Diximus autem initio conclusionis, effectus istos secundarios esse unctionis extremæ: nam effectus primarius sacramenti universalis est, omnibusque suscipientibus communis, et promittitur absolute, non vero, ut remissio peccati, conditionate.

4°. Reliquiæ aliæ adhuc sunt peccatorum, præsertim actualium, propensio quædam ad malum, torpor ad bonum operandum, et ineptitudo ad meditationem rerum cœlestium. De quibus AUGUSTINUS L. ult. de Trinit. c. 27. *Quæ, inquit, causa est, cur acie fixa (lucem) ipsam videre non possis, nisi infirmitas? Et quid tibi eam fecit, nisi iniquitas?* Hæ quoque tristes reliquiæ Rom. 7. et alias, peccata vocantur, et in extremæ unctionis sacramento abstergantur, teste S. Thoma in 4. d. 24. q. 2. a. 2. q. 1., Alberto M. et aliis passim Theologis. Quanquam non proprie et omnimodis tolluntur, ut idem advertit in supp. q. 3. a. 1.; manent enim concupiscentia pravique habitus in iis, qui a sacramento hoc convaluerint: sed per sacramentum datur contra debilitatem ex peccato relictam robur quoddam et vigor mentis per auxilia gratiæ, quæ in conclusione prima probavimus conferri. Unde etiam novimus, effectum istum non esse secundarium, sed sub primario ibidem exposito comprehendendi.

323. *Dico III.* Extrema unctio aliquando sanitatem corporis sua virtute confert. Ita SS. Thomas, et Bonaventura cum Magistro in 4. d. 23. et aliis Theologis.

*Prob. I.* S. Jacobus dum ait: *Et oratio fidei salvabit infirmum*, sanitatem ab infirmitate corporis promittit; alioqui ejus oratio non cohæreret: verba enim ista respondent iis, quæ initio dixerat: *Infirmatur quis in vobis?* etc. Hinc ubi latinus reddit *salvabit infirmum*, in græco legimus *κἀνοῦτα*, *laborantem morbo*.

*Prob. II.* Idem fuit semper Ecclesiæ sensus. In sacramentario Gregorii M. ad olei consecrationem hæc oratio præscribitur... *Ut tua benedictione sit omni hoc unguentum tangenti tutamentum mentis et corporis ad evacuandos omnes dolores, omnesque infirmitates, omnem ægritudinem corporis.* Idem petitur in præcationibus aliis, quas ibidem sacerdos inuncturus infirmum fundere jubetur. Gabriel Philadelphiæ Metropolita homo græcus, in suo de septem Sacramentis opere, sub initium seculi XVII. Venetiis edito, *Forma*, inquit, *sunt verba, quæ a sacerdotibus super ægros annuntiantur, quæ quidem vim habent dimittendi peccata, sanandique morbos eorum, qui sacramentum certa fide suscipiunt.* In omnibus autem Græcorum Euchologiis infirmum uncturus sacerdos ita precatur: *Pater sancte, ... sana servum tuum N. a detinente illum corporis infirmitate*, etc.

Eugenius IV. in Concilio Florentino, decreto ad Armenos, ait, sacramenti hujus effectum mentis esse sanationem; *in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis.* Concilium Tridentinum cap. 2. *Infirmus*, inquit, *sublevatus, ... et sanitatem corporis interdum, uti saluti animæ expenderit, consequetur.*

Quamvis autem B. Jacobus conditionem istam non expresserit; quia tamen sanitas corporis per se non est necessaria homini, atque interdum non expedit, promissio ejus non censetur absoluta, sed dicta conditio ex natura talis effectus subauditur in verbis Apostoli comprehensa. Cum conditione simili cætera bona naturalia, a Deo postulanda esse monet AUGUSTINUS epist. 121. (al. 130.) c. 12. et L. 2. de serm. Dom. in monte, c. 12. et 24. Igitur cum conditione memorata erit effectus sacramenti hujus certus et infallibilis.

324. *Obj. I. cont. 1<sup>am</sup>. concl.* Tempore Apostolorum quidem erat Extrema unctio sacramentum, propter donum curationum, quod tunc vigeat; postquam autem cessavit, etiam cum illa desiit esse sacramentum.

R. N. Ass. Triplici in errore hic versantur Calvinus et alii hæretici, 1°. quod putent, sacramentum ullum fuisse institutum ad curationem corporis; cum e contra sacramenta ad animorum medelam sint condita. 2°. Quod putent, desinere posse evangelicum aliquod sacramentum; cum sacramenta ex natura sua signa sint stabilia et perpetua, ut disp. 1. c. 1. de sacramentis in genere ostensum est. 3°. Quod putent, sacramentum aliquod institutum esse ad propagandum Evangelium. Nam sacramenta non sunt data infidelibus, sed Christianis: miracula vero per sacramenta quandoque fiebant propter infideles. Quam ob rem S. AUGUSTINUS L. 3. de Baptismo cont. Donatist. c. 16. scribit, illa olim miracula propterea facta fuisse in quibusdam sacramentis, et jam non fieri, ut hominēs assuescerent etiam credere, cum non viderent, ea miracula jam esse in illis. Denique male confunditur miraculosa curatio ægrotorum, quam adhibebant Apostoli Marc. 6. cum sacramento extremæ unctionis.

*Inst. 1.* Apostolus soli orationi fidei tribuit salutem ægrotantis; ergo unctio nihil præstat effectus.

R. N. Ant. Ait: *Orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini.* Et hanc præcationem appellat *orationem fidei*, non subjective quidem, quasi minister debeat cum fide actuali sacramentum hoc conferre, aut ægrotus

illud suscipere : sed quia hæc ceremonia pro solis fidelibus instituta est, sola fide intelligitur ; et magnum fidei mysterium continet. Hinc recte dicitur oratio fidei objective : quemadmodum S. AUGUSTINUS tr. 80. in Joan. n. 3. ait, verbum fidei in sacramento mira operari, *non quia dicitur, sed quia creditur.*

*Inst.* 2. S. THOMAS in 4. d. 23. q. 1. a. 4. q. 3. ad 2. ait, exprimi debere in forma sacramenti effectum principalem : atqui in hac formula : *Indulgeat tibi Deus*, etc., exprimitur tantum remissio peccatorum, nihil vero de confortatione animi contra difficultates in illo articulo occurrentes ; ergo vel formula Romana est vitiosa, vel effectus principalis hujus sacramenti est remissio peccatorum.

R. N. Ass. Quod ad remissionem peccatorum non fuerit primario instituta unctio extrema, ex dictis hactenus liquet. Certe ad venialium remissionem novo sacramento opus non erat, quippe quæ sunt idonea materia sacramenti penitentiae, in quo directe etiam remittuntur, licet penitentiae sacramentum potuerit non institui ad venialium condonationem. Deinde venialia peccata sine bono motu animi adversus ea nunquam dimittuntur : atqui unctionis sacramentum sine bono motu cordis digne solet suscipi. Porro neque opus erat, sacramentum unctionis extremæ primario institui ad tollenda peccata mortalia : præstabant enim hoc abunde baptismus et confessionis sacramentum, ideo sacramenta mortuorum appellata, quod mortuos ad vitam spiritualem suscitent. Cum e contra unctio extrema sit primario sacramentum vivorum : nam ægrotus tenetur peccatum suum lethale, cujus est conscius, prius confiteri, aut, si hoc fieri nequit, saltem illud contritione perfecta eluere. Hinc dicitur a Conciliis : *medicina et sanatio mentis*, non vero resuscitatio, aut regeneratio, ut argumentatur S. Thomas sup. cit.

Secundum hactenus disputata respondeo, per laudatam formulam Romanam Ecclesiis occidentalibus communem exprimi generatim et absolute peccatorum remissionem, qua non solum culpæ, si quæ adsunt, dimittantur, sed etiam amoveantur peccatorum reliquiæ, torpor ille, debilitas animi, pravæque dispositiones ex peccatis præteritis ortæ, quas sacramenti hujus gratia præcipue sanat, robur et vires addendo ad resistendum pravis illis affectionibus. Et quoniam ex peccatorum antecedentium meritis oportebat, hominem auxiliis gratiæ extraordinariis et superabundantibus privari, suæque fragilitati ac debilitati relinqui, debitum istud peccatorum per sacramentum istud ita dimittitur, ut vicissim auxiliis gratiæ sacramento huic propriis instruat, et in spem erectus contra reliquias illas peccatorum confortetur. Qui quidem primarius sacrae unctionis est effectus, indicatus his verbis : *Indulgeat tibi Deus*, etc.

325. *Obj. II. cont. 2<sup>am</sup>. concl.* Extrema unctio non est sacramentum mortuorum, ergo per se ac directe non tollit peccata mortalia.

R. D. *Ant.* Non est sacramentum mortuorum simpliciter et ex institutione primaria et præcipua C. secundum quid et cum particula restringente ad certos casus, in quibus subit vices sacramenti penitentiae tanquam ejus supplementum, perfectio et consummatio N. Baptismus et Penitentiae sacramentum ex sua institutione, et lege ordinaria supponunt in subjecto pecca-

tum mortale sacramento alio nondum remissum, atque valentibus corpore plerumque conferuntur. E contra unctio extrema nullum ante se supponit peccatum mortale ex sua institutione præcipua et lege ordinaria, quod non sit remissum per duo memorata sacramenta ; nec tribuitur ulli, nisi morbo periculoso laboranti. Ex verbis tamen B. Jacobi intelligimus, quod tanquam sacramentum mortuorum secundum quid, peccata etiam mortalia *per se ac directe* deleat, si quando absolutio ex defectu occulto nulla fuisset : aut si post absolutionem æger in peccatum mortale aliud rediisset, ad quod postea non advertit : aut ob difficultates morbi, aliasve causas confiteri amplius nequeat ; modo attritionem generalem bona fide susceptioni unctionis, cum actu dilectionis inchoatæ, præmiserit. Ita S. Carolus Borromæus in *Instruct. de Extr. Unct.*

*Inst.* Si peccata venialia et pœnæ peccatorum per sacramentum extremæ unctionis remittantur ; ergo sacro oleo inuncti non erunt obnoxii post mortem igni purgatorio.

R. N. *seq.* Si peccatum mortale unicum in hoc sacramento tollitur, certum est, cætera omnia illi adjuncta simul tolli : facit enim hoc sacramentum ex attrito contritum, non quidem mutando actum imperfectum in perfectiorem, sed sola infusione gratiæ, quæ suapte natura lethalibus peccatis æqualiter adversatur. Peccata venialia non semper omnia in sacramenti usu deleri, sed effectus istius modum statui a dispositione ejus, qui sacramentum recipit, supra ostendimus num. 63. et 64. Pari ratione tenemus, in sacra unctione non remitti semper omnem pœnæ reatum, quod soli Baptismo proprium est ; sed tolli quidem reatum pœnæ ex opere operato sacramenti hujus, ita tamen ut effectus iste respondeat dispositioni et devotioni suscipientis.

326. *Obj. III. cont. 3<sup>am</sup>. concl.* Sæpe post extremam unctionem convalescunt, qui sanitate recuperata in animæ detrimentum abutuntur : e converso, sæpe accepto hoc sacramento moriuntur, qui si superstites forent, non tantum piam et honestam vitam ducerent, sed alios quoque complures ad bonam frugem revocarent ; ergo non confertur ex hoc sacramento sanitas corporis, si ita ad salutem animæ expedierit. *Conf.* Sanitas corporis non est medium necessarium ad profectum animi : imo sæpe opus miraculo foret obvium morbi invalescentis et vires plane absumptas ; effectus autem sacramenti non est per miraculum expectandus.

R. N. *Ant.* Si qui ex morbo convalescentes sanitate male utantur, non constat hos valetudinem virtute sacramenti recuperasse. Potuit etiam fieri, ut sanitas spiritualem fructum attulerit, quem homo postea tentationibus sponte cedens iterum amiserit : neque enim opus est, ut salus animæ, quam Tridentinum ex sacramento, ait, obventuram, perpetuo duret. Incertum etiam est, utrum justis, qui accepta sacra unctione decedunt, iidem sint permansuri, si convaluerint. Quare rationes istæ convenientiæ et utilitatis petendæ potius sunt ex ordine providentiæ divinæ, quam ex conjecturis hominum. Eam ob rem Concilium Coloniense habitum an. 1536. p. 7. c. 49. (*Labb. t. 14. p. 543. A.*) ait : *Si Deo ita visum fuerit.*

*Ad Conf.* R. Sufficere ad sacramenti effectum, quod salus corporis ad animæ profectum sit proficua, licet non semper sit necessaria. Neque est contra

sacramenti institutionem, quod valetudo aliquando supernaturali virtute restituatur; hoc enim cum nos lateat, non censetur inter effectus miraculosos: sicut nemo pro miraculo habet transsubstantiationem in Eucharistia, aliosque supernaturales effectus sacramentorum, qui sensus nostros fugiunt.

*Inst.* S. Jacobus jubet omnes infirmos ungi: sacramentum autem unctionis non præbetur, nisi semimortuis cadaveribus; ergo unctio ista non est ritus a B. Jacobo præscriptus.

R. 1<sup>o</sup>. *N. M.* Cum peculiari Dei beneficio, atque interdum miraculo sananda fuerint per unctionem sacram corpora, credi non potest præscriptam a Christo fuisse, aut a Christianis adhibitam illis, quibus v. g. dentes dolerent aut qui levi quodam valetudinis incommodo tenerentur. Sane Jacobus ungendum præcipit *Κόμνοντα*, h. e. morbo oppressum ac fatiscentem.

R. 2<sup>o</sup>. *N. min.* Nusquam præscribitur in Ecclesia, sacramentum hoc solis semimortuis cadaveribus esse impertiendum, licet ejus capacia sint. Eugenius IV. in Decreto ait, *hoc sacramentum non nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari debere.* Tridentinum cap. 3. declarat, *hanc unctionem infirmis adhibendam: illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur, etc.* Theodorus Cantuariensis in L. Pœnitentiæ scribit, *inungendos infirmos in periculo mortis positos.* Eadem plane verba habet Concilium Mogunt. c. 26. (Labb. t. 8. p. 49. D. E.) an. 847. celebratum. Eadem constant ex historiis Ecclesiasticis, quarum exempla quædam supra adduximus, ex quibus intelligimus sensum eundem fuisse Patribus et Conciliis cæteris, qui dicunt infirmis adhibendam esse sacram unctionem, etsi de mortis periculo mentionem nullam faciant.

Cæterum monet Synodus Bituricensis habita anno 1584. et Burdigalensis anno sequente celebrata, Tit. 13., et Concilium Mediolanense IV. sub S. Carolo Borromæo coactum, Tit. 6. de Extr. Unct. (Labb. t. 15. p. 438.) *Ut tempèstive hoc sacramentum ministretur ægroto, dum integris est sensibus; nec differatur, dum omnibus pene sensibus destitutus sit.* Nec sine multa ratione: ita enim utilior erit infirmo, qui se per actus pietatis ad fructus ejus percipiendos potest disponere. Deinde cum animam alleviet hoc sacramentum, profecto hoc levamento ægrotus magis indiget initio morbi et in ejus decursu, quam cum prope depositus omnem doloris sensum amisit. Denique sera illa inunctio plane adversatur secundario effectui hujus sacramenti, quæ est recuperatio sanitatis: non enim miraculo effectus iste præstatur, sed supernaturali virtute; quæ vim causarum naturalium non suppleat, sed adjuvet.

327. *Obj. IV.* Unctio sine dono curationis partim ab hæreticis, partim ab ethnicis fuit introducta. S. Irenæus L. 1. c. 21. ait, *Valentinianos omnium primos ceremonia hac usos fuisse.* De veterum unctione scribit Virgilius: *Lavant corpus frigentis, et unguunt.* Ergo a Christo non fuit instituta unctio, nisi cui fuit annexum donum curationis morborum.

R. *N. Ant.* Valentiniani ungebant cadavera mortuorum, ut hæresi 36. aperte testatur Epiphanius. Aquam oleo miscebant, ut talis unctio illis esset loco baptismi; utebantur inauditis quibusdam et horribilibus verbis hebraicis, a quorum impietate multum dissidet nostrum sacræ unctionis mysterium. Quamquam etiam Christiani olim laverint mortuorum corpora, ut de Tabitha legimus Act. 9. v. 37. et nunc adhuc lavant. Ungi quoque consuevisse

a Judæis mortuos indicat Dominus Matth. 26. v. 12 dum ait: *Mittens unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Et Joannes c. 19. v. 40. scribit, corpus Christi de cruce depositi pretiosis unguentis et aromatibus fuisse conditum, *sicut mos est Judæis sepelire.* Morem istum a majoribus suis acceperunt: nam Gen. ult. traditur, cadavera patriarcharum Jacob et Joseph sic fuisse curata. Unde apparet, quam impudenter mentiatur Kemnitius, ritum, quem Dionysius c. 7. de Eccles. Hierarch. refert, ab ethnicis superstitionibus desumptum fuisse.

Nemini autem ritus Christianorum pii et divinitus instituti ideo debent vilescere, quod ethnici aut hæretici similes ceremonias adhibeant ad suas superstitiones: scimus enim, eos etiam aqua et vino in abominandis mysteriis suis usos fuisse: quæ elementa nihilominus adhuc in Baptismi et Eucharistiæ celebratione usurpamus.

## ARTICULUS II.

## MINISTER EXTREMÆ UNCTIONIS.

328. *Dico I.* Soli sacerdotes sunt ministri idonei Extremæ unctionis.

*Prob. I.* S. Jacobus in epist. jubet induci *presbyteros Ecclesiæ*, qui ministerium hoc peragant. Quæ verba de solis sacerdotibus consensus Ecclesiæ orientalis et occidentalis, ac perpetua traditio Patrum et Conciliorum explicant. Ex quibus Concilium Florentinum in Decreto Eugenii, *Minister*, inquit *hujus sacramenti est sacerdos.* Et Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 3. de Extr. Unct. declarat, nomine *presbyterorum Ecclesiæ*, eo loco, non ætate seniores aut primores in populo esse intelligendos; sed aut episcopos, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinatos per impositionem manuum presbyterii. Et contrarium dicentes, can. 4. damnat.

*Prob. II.* Idem B. Jacobi nomen *presbyteros*, de sacerdotibus accipi oportere, scribit INNOCENTIUS I. in dicta ad Decentium epist. et addit: *Cæterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est.* S. Gregorius in Sacramentario ministros hujus unctionis modo presbyteros, modo sacerdotes vocat. Concilium Aquisgranense can. 5. monet, curandum esse sacerdoti, ne per ejus negligentiam infirmus confessione, sacerdotali oratione aut unctione sacrati olei careat. His adde alia Patrum et Conciliorum testimonia n. 312. adducta, quibus nonnisi episcopi aut presbyteri sive sacerdotes ad sacramenti hujus ministerium a B. Jacobo designati fuisse dicuntur.

329. *Dico II.* Quamvis sacramentum istud a presbyteris pluribus aut Episcopis administrari possit; ad ejus veritatem tamen vel unicus eorum sufficiet.

*Prob. 1<sup>a</sup>. pars.* In Ecclesia græca septem sacerdotes adhiberi solent ad sacram unctionem peragendam, ut constat ex Arcudio L. 5. c. 3. et ex Simeone Thessalonicensi apud Joan. Morinum sub finem commentarii de sacram. Pœnit. Quin etiam in Ecclesia latina plures olim ministros ad sacram unctionem conferendam accersitos fuisse, cognoscimus ex L. sacra-